

Sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXXIII, Indictione sexta, regnante Friderico Imperatore et semper Augusto, in solemnibus conventu Principum et multorum nobilium decimo nono Calend. Septembris apud Paderburne feliciter Amen.

Nondum querelæ nostrorum temporum invaluerant, quibus incrementis religiosorum opes insectantur politici; quando Evergisus etiam Bustorfianum Collegium Canoniorum sua liberalitate complexus, hoc anno largam ei donationem fecit; eò quòd à Meinwerco quidem id conditum, & à Bernardo, alijsq; Episcopis auctum, sed pro Sacerdotum Deo quotidie fervientium numero tenue adhuc fuerit. Literarum quæ hoc anno MCLXXIII ab Evergiso Episcopo datæ sunt, testes ascribuntur Sifridus Præpositus, Almar Decanus, Ecbertus, Rembertus Præpositus, Uffo, Herbertus, Godescalcus Præpositus, Bernardus, Altmannus, Folbertus, Meinricus, Burchardus, Bezelinus, Ludovicus, Conradus, Reinherus magister, Conradus, Titmarus Præpositus, Godefridus, Alexander, Erpo, Henricus, Lambertus, Canonici, alijsque. Tam conspicuum tum fuit Cathedrale Collegium, Sacerdotibus intra communem claustrum disciplinam viventibus.

Subtraxit mors hoc anno ex Episcopis Saxonie Ludovicum xxiii Monasteriensium antistitem, genere Comitem Teclenburgensem; id quod, præter Chronicon Montis Sereni & Pegaviense, consignavit Godefridus Monachus. Hoc enim, inquit hic, anno pestis omne Teutonicum regnum, Galliasque pervasit, quæ Ludovicum Monasteriensem Episcopum cum alijs sustulit, cui Imperator fratrem Hermannum Comitem de Kazinelenbogen substituit. Auctor Chronici Montis Sereni eum ex choro Herbipolensi traductum refert. Quare magnopere falluntur omnes Monasteriensium codices fastique, qui Godescalcum gente Saxonem interponunt. Ludovicum, etsi per quinquennium tantum præfuerit à morte Friderici, haud leviter commendat Crantzius alijsque à magnanimitate; quippe qui Advocatiam, quæ penes Comites Teclenburgicos erat, ac tot annis Episcopis molesta fuerat, certa pecunia redemit à consanguineis comitibus: ita quod Fridericus certis pactionibus jam antè transegerat, Ludovicus perfecit, impetrando à Friderico Cæsare egregium diploma, quo hæc lis tandem dirempta, assertaque ab hoc anno libertas Episcopis. Tabulæ hoc anno datæ, & à Godefrido Cancellario recognitæ sunt. Præclarus Episcopus qui bonum Ecclesiæ habuit ante familiæ.

Evergisus Ep. Paderbornensis
Bustorfiani Collegij auctor

Obit Ludovicus Ep. Monasteriensis
Godefridus Chron. Mont. Sereni.
Chron. Pegaviense.

Mallinkrotius in Cancellariis.

Annus Christi 1174.

Alexandri III Pont. 15.
Friderici I Reg. 23. Imper. 20.
Evergisi Ep. Pad. 15.

Ooooo

Sequitur